Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

eam interficere. Surgens autem mater eius iactavit
se super eam dicens. Non effundam sanguinem eius. sed ex
pectabo adhuc aliquos dies. si forte reminis
catur et convertat se ad deos suos. Sancta vero Fusca una
cum nutrice sua Maura gaudens desiderabat
pro domino Ihesu Christo vitam finire. dominus autem confortabat
mentes in se credentium. Servi vero pater eius egressus
immolabat victimas idolo Accaron. ut a fi
de filiam suam averteret.

Alio vero die Quintianus persecutor christianorum Ra
vennam urbem ingressus est. Audiens vero beatissima
Fusca una cum nutrice sua Maura tale preceptum
in conspectu domini fuderunt. ieiuniis et orationibus
vacantes die ac nocte. Tu domine Ihesu Christe qui
sanctis tuis apostolis et martyribus virtutem fidei dedisti.
conforta famulas tuas in timore tuo. ut non
valeat insaciabilis diabolus famulas tuas
a via veritatis evertere. Sedente vero Quintiano
pro tribunali. accesserunt quidam et dixerunt ei.
Ecce domine preses filia Servi in hac civitate christi
ana est. et dicit deos nostros demonia esse. Audi
ens preses ira commotus. ministris iussit ut
sanctam Fuscam et parentes eius vinctos ad eum perdu
cerent. Venientes vero ministri invenerunt sanctam
Fuscam orantem. sanctum vero angelum iuxta eam stantem.
cuius aspectum ferre non potuerunt. Iratus autem
preses iussit eos in carcerem mitti. Dum ista dicun
tur. et alia referuntur. ecce sancta Fusca cuius iam spiritus
sponte erat coronatus. una cum parentibus et Mau
ra famula sua ad forum pervenit. Preses vero ad Se
rvi dixit. Ut quid filiam tuam christianis legibus subdi
disti. Servi respondit. Pro salute tua iam multos dies
laboravi. et non potui eam ab hac stulticia revo
care. Cognoscas eam a christianis esse deceptam.
qui dicunt deos nostros lapides et ligna esse. Con
versus preses ad beatam Fuscam dixit. Quid vocaris.
Sancta Fusca respondit. Fusca. Preses dixit. Quem deum colis.
Fusca respondit. Christum dominum. Preses dixit. Tu illum Christum
dicis quem iudei crucifixerunt. Per magnos deos
Accaron et Iovem si non recedis ab hac amentia.
et non sacrificas diis. morte morieris. et non vives.
Sancta Fusca respondit. Ego parata sum pro domino meo Ihesu
Christo magis mori. quam vanis idolis tuis sacri
ficare. Scriptum est. Confundantur omnes qui adorant
sculptilia. qui gloriantur in simulachris suis. Preses
dixit. Recede ab hac stulticia et sacrifica diis.
quod si nolueris per deum Accaron male te finiam.
At illa respondit. Iam tibi dixi. melius est mori michi. quam
demones adorare. Preses dixit. Fusca filia Servi
quare non comples iussionem meam. Per deos magnos
morte morieris. tu et nutrix tua Maura quia
christiana est sicut et tu. Denega Christum. et adora deos
patris tue. Quod si nolueris verba hec audire.
dabo carnes vestras canibus et volatilibus celi. At
illa spiritu sancto repleta dixit. Terrores tui et mi
ne tue nulle sunt. quia sponsa Christi sum. et pro
ipso mori desidero qui me illuminavit. ut
appropiem ei casto corde. quia iuvat propinquare
ad illud quod nec oculus vidit. nec auris audivit.
nec in cor hominis ascendit. quod preparavit deus qui
eum toto corde diligunt. Audiens Quintianus
verba hec. iussit eas flagellari. Cumque flagel
larentur. voluit eam gladio ferire. Videns autem
pater eius Servi procidit ad pedes eius dicens. Domine
preses iube per duos dies dari nobis inducias.
si forte convertat se ad deos. quia unica est matri
sue. Preses dixit. Et ego desiderabam ut non periret.
sed superbia eius et vanitas nescio cuius Ihesu Christi vi
vere eam non permittit. At illa respondit. Vanitatem vos
adoratis qui verum deum derelinquitis. et effigiebus
que sine voce sunt et sine auditu dicitis. deus meus
es tu. et ligno dicitis. adiuva me. Preses dixit.
Multum me commoves. sed adhuc tue misere
or infantie. At illa dixit. Misereatur mei
dominus. Nam qualis est misericordia tua maledicte. Iratus
Quintianus iussit eam in carcerem mitti dicens. Per deos
magnos ambas cras gladio ferire precipiam.
At illa respondit. Deo gratias. et hoc semper optabam. Et
venientes ministri mittentes catenam in colla
earum. miserunt eas in carcerem. Alio die preses
sedens pro tribunali. vocavit spiculatorem et dixit
ei. Educ superbas illas de carcere. et a diis nostris
alienas. et extra civitatem sententiam accipiant
capitalem. Et veniens spiculator eduxit eas
de carcere. trahens ante urbem. Cum autem du
ceret eas ad mortem. plorabat omnis multi
tudo mulierum. At illa orabat dominum dicens. Domine
Ihesu Christe in manus tuas commendo spiritum meum. Et fac
ta est vox ad eam dicens. Noli timere Fusca. fidem
servasti. cursum consummasti. veni ad requiem
suscipient te angeli. Tunc sancta Fusca dixit
ad spiculatorem. Veni fili. fac quod tibi imperatum
est. Et spiculator statim lancea latus eius perfora
vit. et tali martyrio dormivit in pace. Sancta
vero Maura nutrix eius tenens corpus eius. rogavit
spiculatorem ut eam interficeret. Quod et completum
est. et eis sicut fuit una vita. ita et in morte una
concessa est gloria. Corpora vero earum proiecerunt in mare.
et perducta sunt in Tripolitanam provinciam. in civita
tem que dicitur Sabrata. et condita dignissime in crip
tam. Transactis autem multorum curriculis annorum.
occupata est regio illa a paganis. et ipsa civi
tas Sabrata. redacta est in solitudinem usque
in hodiernum diem. Passa est autem beata virgo